

40^a duo **I**n alio habitatione subordina. i. omne
comunionem unigenitum xpi est. **E**t panis ipse fuit
primus in ordine participationis corporis domini est.
qui unus panis et unum corpus multum sunt
omnes qui de uno pane et de uno calice partici
pant. **I**ste igitur fuit in munit. **P**ane et
calice habuit participes per alium. **D**uo igitur
dico. quod panis promissus fuit et quid fuit quod
panis fuit aliquid. **E**t ex quo unum est panem
demonstrat promittent. **T**unc dicitur **P**anem
vobis facite fieri demoniorum. **S**ompositus multum
domini habere et multum demoniorum. **P**ane et
calice in unum participes esse. **T**unc in
demoniorum. **I**n multum domini. **P**ane et
fuit omnis ille fuit. **D**ominum in fuit. **P**ane
omnia ex parte. **D**ominum in fuit. **P**ane et
fuit. **P**ane et quod fuit. **P**ane et alium.
Pane et in multum. **P**ane et in multum. **P**ane
et in multum. **P**ane et in multum. **P**ane et
in multum. **P**ane et in multum. **P**ane et in
multum. **P**ane et in multum. **P**ane et in multum.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xd. 28,



DISPUTATIO
Institutionum Anatomicarum VII.
DE RENIBUS ET
VESICA.

Quam

D. O. M. A.
SVB PRÆSIDIO

TOBIÆ KNBOLOCHII,
Marcobrettani Fr., Med. & Phil.D.

*In celeberrima Witebergensium Academia
defendendam suscipiet*

Leonhartus Baudis Ligni-
censis Silesius.

Ad diem 29. Aug. horis & loco notis.



VVITEBERGAE,
Typis Cratonianis per Iohan. Gorman.

Anno cId 15 CVII.

VIRIS

Eruditione, auctoritate, mul-

toq; rerum usu Amplis. Prudentissimisq;
DNN. CONSULI ET SENATORIBVS,
inclutæ Lignicensium Reipubl. dignis.

Dominis & studiorum suorum Mecænatibus summis.

*V*ivimus in mundo plerique, sed, ille quid, unde &
Tam variâ, haut scimus, stetq; cadatq; vice.

Mundus parvus, homo est; homines nos esse fatemur:

Nos, quid homo, constet sed quibus, error habet.

Tantum bruta sciunt, tantum Marpesia cautes:

Bruta præire volens, noscitur te omnis homo.

Sic non tantum homo eris, te hominem verum esse probabis:

Sic diu homo ut maneat, hoc tibi nosse dabit.

Sic quæcumq; suo hic mundi globus axe volutat,

Corpore erunt melius conspicienda tuo.

Eloquar, an sileam? mentem quoq; cura subegit

Ista meam, ut mediter, simne homo, & unde sat us.

Firmo fidem, vestro nixam sulcimine, Patres,

Quæis benè sunt Lygij tradita sceptrâ fori;

Firmo fidem, vestramq; meis spondendo Camanis,

Comprecor, ut semper convenienter eant.

Vos facite, hæc animo placeant conamina vestro,

Vestrâ ope sit vester salvus & usque cliens,

Hanc ἀνθρωπολογικὴν συζήτησιν lubens meritoque
offert & Mancipat

Leonhartus Baudis
Lignicensis.

Continuatio.

Rogredimur suadente itinere in admirando corporis humani theatro; & primò quidem ejus domicilio, quod partiū omnium nutritioni dicatarum jucundas juxta ac mirabiles structuras nobis contemplandas exhibuit, jam iam egrediemur, dum modò ultimâ vice Renum & Vesicæ fabricam introspexerimus.

CAP. I.

De Renibus.

Renes sunt membra evehentia ex carne solida ac densa, ad hauriendum, quod in jecore est serolum, idemque ejiciendum.

I. Renes ῥῆναι τῆς πύκνῃς, quod per eos urina fluat, & νεφροὶ quasi mingentes ῥῆναι τῆς νεφροῦ ἀ μινγέοντο dicti. 2. de hist. ani. 16. Homini- bus & omnibus quadrupedibus, quæ animal generant, nulli autem pennato nec squammato, excepta testudine, dati sunt. Aristot. 4. de part. an. 1. Archang. lect. 22.

II. Ad Renum fabricam & compositionem pertinent sequentia: Caro propria, membrana duplex, exterior & interior, vena emulgentes, arteriæ emulgentes, nervi, &c. Archang. Paræus.

III. De substantia renum varia sunt sententia. Sunt qui glandulosam opinantur, secuti Hippocratem. Sunt etiam qui visceribus & parenchymatibus annumerant, ut Galenus, Aretæus, Columbus, & alij, cum quibus nos quoque facimus: Deprehenditur enim carnea, rubra, densa, admodum solida & dura substantia,

cordis substantia non absimilis, præterquam quòd fibris, quibus intexitur, caret. Laurent. lib. 6. cap. 23. Archang. lect. 22.


IV. Exterior membrana à peritoneo eis in hunc usum datur, ut hujus beneficio lumborum musculis interioribus firmissimè & tenacissimè adhaerescant.

V. Altera propria interna tenuissima, à tunica communi vasa cingente dilatata producitur, quæ validissimè ipsis connascitur, ut carnem eorum alioqui firmam & densam firmiorem, & compactiorem reddat, ne laxata variè illis serosus humor efflueret, atq; etiam hac membrana circumscripti renes disterminentur, à circumseidentibus partibus.

VI. Ad sunt vena & arteria (emulgentes:) Illa à descendente cava trunco oritur, inque sinistram renum partem inseritur, per quam renes serosum è venis provocant. Gal. 5. de us. part. 7. & 8. Aristot. 1. hist. an. 18. 3. part. 9. Hæc non tam vitalem spiritum defert, quam arteriosum sanguinem expurgat, & serum in arterias, sat copiosum in renibus, infundit. Archang. d. 1. 6. ad an. 135. us. part. 5. D. D. Salomon Alberti p. m. in strangulati cujusdam cadavere tres observavit emulgentes, ut schema appositum docet.

Schema ex anatomia D. D. Salomonis Alberti p. m. venas tres emulgentes ostendens.

- a. Vena cava truncus.
- b. Aortæ caudex, qui per declivem dorsi una cum cava defertur.
- c d e. Tres emulgentes serie quadam & cæcè à cava dextro pullulascentes, inter quas media (d) cæteris est obscurior & penitus obstrusa.
- f. Emulgens sinistra, nihil prorsus à



natura

natura usitata forma distans, cum emulgente obscuriore dex-
tri lateris quæ κατὰ πλάγιον cavæ propius spinam enascitur in
una eademq; linea, sed intervallo quodam interiecto sita.

g. Divisio summæ emulgentis in duos furculos, quibus renem petit.

h. Comes arteria, summæ emulgenti subtracta, similiterq; divisa.

i. Vena spermatica dextra emulgentis infimæ germen. Etenim par
hæc ratio est utrobique exortus seminalium venarum.

k. ἐκφύσις arteriarum è grandiore ramo pertinentium in testes,
unde postea gemini propagantur rivi utring; unus, ad Com-
meatum vitalis spiritus impertiendum testibus. In hoc grandi
ramo, non in ipso caudice divortium fit arteriarum semina-
lium.

l. m. Commune jugum in quod divortia venarum & arteriarum
forma Coni deorsum fastigiantur. Reliqua directæ sunt, cum
nihil evariarent.

N. o. Renum uterq; quorum dexter corpore erat paulò habitiore,
haud dubiè ob propaginum vasorum multitudinem.

p. q. Ureteres abtruncati.

VII. Nervum utring; unum per exiguum à stomachico accipi-
unt, qui in renum membranam propriam absumentur, unde amicus
ventriculi & renum consensus, ut experiuntur illi, qui calculi do-
lore vexantur. Gal. 5. usu part. 5.

II X. Deinde notandum duos esse in renibus ventres sive sinus,
unum in multos canales (Aretæus alveolos vocabat) ab arteriarum
& venarum extremis divisum. 6. ad. an. 13. instar sinuum cere-
bri, & excipere hunc sanguinem serosum, & serum sanguini inter-
mixtum secernere: Alterum priori quasi occurrere, & serum
jam depuratum, & sensim destillatum suscipere. Arist. 3. part. 9.
Fallop. l. 47. deprehendit sinum hunc posteriorem pluribus præ-
ditum fistulis, in quarum extremis carunculae appareant papilla-
rum instar protuberantes: per quas in unum sinum membranosum
velut cisternam ab uretere informatam serosus humor derivetur,

perq̄ ureteres, postquam nutrimentum renum ab hoc humore se-
paratum, in vesicam mittatur.

Figura hæc renis interiora & penetralia exhibet.



A. Ren parte sui resima per
medium, dissectus sub
ijcitur, quò pandi me-
lius parietes & intro-
spici penetralia possint.

B. Sinus medius ab uretere
efformatus.

C. ὑγρῆς, id est, porus uri-
narius.

D. Dorsum renis oblongius:

E. Subalbida Caruncula seu glandula verrucosa secundum dor-
sum renis more papillarum extuberantes, ejusdem planè cum
dorso substantiæ nisi quòd fungosa sunt ac poris passim pervia.

IX. De usu renum varij variant. Gal. ait lib. 1. de natural-
facult. Erasistratum omnem fere renibus usum denegasse.
Aristot. *judicium de usu tale est.* Animalibus omnibus, inquit,
quæ sanguineū habent pulmonē, renes natura tribuerat, quip-
pe quæ simul ad venas continendas ijs uteretur, & ad humorē
supervacuum excernendum abuteretur. Ex quibus verbis
liquido satis apparet, à Philosopho affirmari, renum usum prima-
riò quidem esse τῶν βλεβῶν ἐνεκα, secundariò autem, τῶς τῆς
ὑγρῆς ἀετρώματι (ut ipse loquitur) ἐκκρίσιν.

X. Nos opiniones hæc relinquentes suis patronis, meliorem se-
quimur, & veriore sententiam, quam & rationum pondera sua-
dent, & auctoritatum Hipp. Dioclis. & Galen. fulcra muni-
unt, & statuimus renes sanguinis venosi & arteriosi expurgandi
gratia esse constructos, ut supra etiam dictum. Quandoquidem
enim ex triplici, quod in epate redundat, excremento, bilioso ni-
mirum, seculento & seroso, ultimum (priora enim duo post absolu-
tam

tam coëlionem statim, ut nuper diximus, expurgantur) quod sanguinem crassum satis & ad motum ineptum, & ut eò expeditius venas graciles & angustiores permeare posset, antea vehebat: Post munus hoc peractum velut inutile secernitur & expurgatur, opus certè fuit hisce, quæ renes appellamus, vasculis, quod ipsum quoque substantia renum sinubus excavata, & quasi fistulis colatorijs perforata. ceu digito monstrat.

XI. Expurgationis fecimus mentionem. Ista verò quomodo se habeat, controversum est: ita quidem, ut etiam peritissimis & auctoritate gravissimis viris non semper fuerit satisfactū. Dubitū enim est, utrum, quam diximus, expurgatio (perficiatur venarum vi expultrice, quæ recentiorum quorandam est sententia, an verò tractione, an proprio serii motu, an renum incognita proprietate, serum ad se alliciente, quod Hipp. Diocles, Praxagoras & Galenus multis in locis docuerunt, an demum alio modo fiat. Laurent. lib. 6. quæst. 28. Archang. d. 1.

XII. Nos, ut questionì data satisfiat, & sua præstantissimorum virorum scriptis auctoritas facta tectaque relinquatur, utrinque præcipitia vitabimus, media via incedentes. Distinctione autem quoad urinae materiam, vel maximè opus habemus, quæ datur triplex: Una est, omnis potus, sive crudus & concolor, sive nonnihil immutatus: Altera serosus eorum, qui in venis sunt humorum liquor. Tertia humores omnes, & quæ liquantur corpora.

XIII. Materiam jam expositam in duas classes distribuimus. Prior natè Φύσιν est, quò pertinent prima & secunda. hæc autè Φύσιν altera, quò tertiam reponimus. Insigniter namque errat, qui urinae materiam solummodo potum esse autumat, ut ipsa disputationis hujus σύψαξις denudabit & probabit.

XIV. Hisce itaque tanquam fundamentis præsuppositis superstruimus sequentia. Urina quedam partim trahitur, partim expellitur. Talis est urina naturaliter se habens, nempe serum sanguinis, quod partim à renibus trahitur: partim vi venarum pellitur,

tur, ubi tamen majorem tractioni, quam expulsionis vim inesse dicendum est. Denique urina quadam nec trahitur, quando videlicet humorum fit σύνκλις, id est, colliquatio.

XV. Hæc simplex est responsio, penes quam nec illud omnittendum, quod tractio illa (scilicet communis, non propria:) quam in prima urina specie attingimus, non fiat nutritionis gratia, quando non omnis tractio nutritionem tanquam finem præsupponat. Probat id Magnes ferrum trahens; probant alia, nec statim tamen ijs aluntur.

XVI. Deinde notandum etiam est, urinam non modò ex epate & venâ cavâ, arteria aorta, sed venis etiam tum majoribus, tum minoribus atque adeò etiam ex tota corporis mole prolici, quod manifestè deprehendit is, qui biduum aut triduum nullo aut parcissimo potu transegerit.

XVII. Manet verò præter serosum illud in singulis humoribus post separationem factam in epate, & crassum aliquod terrenum, quod ὀμίον χυμὸν nominant, & una cum sero ad renes & vesicam attrahitur. Ejus pars maximâ à crassiore phlegmate & succo melancholico secernitur, & in urina ὑπόστασις & ὑψίστα μέρη gignit, id est, ea, quæ partim in fundo urinae apparere, partim in ejus massa innatare conspiciuntur. Præcipuam quoque generando in renibus calculo materiam suppeditat, præsertim si cum crassitie lentorem quendam conjunctum habeat.

XVIII. Caterum ex ijs, quæ de seroso excremento diximus, & quomodo illud in venis cum sanguine per corpus vehatur, priusquàm in urinam abeat, æstimare haut difficile, quomodo ex urina inspectione Medicus de morbis judicare possit, cum urina sit portio humorum, quibus corpus alitur, & de totius corporis venis & arterijs decedat. In primis autem epatis virtutem ostendit urina, cujusmodi ea sit in generatione sanguinis & humorum separatione. Postea sanguinis & humorum in Epate ac Venis constitutionem, prodit, utrum ritè cocti sunt & mundati, quoniam de ijs præcisa
qua-

quedam pars est urina. Iudicium quoque aliquod facit, et si obscurius, de reliquorum viscerum aliarumque partium affectione, quam partes humoribus in se contentis imprimunt: humores vero comiti urina, que demum è corpore profusa signa illa oculis & omnino subiicit. Denique partium, per quas labitur, ut renum, ureterum, vesicae & virgæ affectus manifestè indicat, cum sordes earum partium suo transitu corradit, secumque educit.

De Accidentibus.

I. Positi sunt renes paulò infra jecur, & incumbunt lumborum musculis. Dexter elatior est in brutis, in homine depressus magis propter epar, quod etiam asserit Aristot. 1. de hist. an. 18. D D. Martinus Holtzapffel renes ambos jecori vidit affixos. Causa quoque huius positus illa datur, ne si diametraliter essent oppositi alter tractui alterius afferret moram (quemadmodum Posthius Mompelij aliquando vidit) & ut, si feri portio quedam elaberetur, ea in foveam alterius incideret. Numerus renum interdum variat: Nam Gemma lib. 2. pag. 75. arris Cycloguom. semel quadruplices renes vidit. Botallus quatuor in una mole renes conjunctos observavit. Fernel. lib. 1. Phys. cap. 7. unum vidit miræ magnitudinis. Vesalius lib. 5. cap. 10. unum observavit in habentibus ventrem impensè prominentem. Eustachius lib. de renum structura cap. 10. semel vidit unum mediæ spina innixum. Archang. lect. 22. unum magnum transversum supra cavam & aortam. Laurent. lib. 6. cap. 23. unum, tres & quatuor observavit. Duo autem à natura sunt conditi, ut si fortè uni noxa contingeret, alter nature necessitatibus, ad quos sunt comparati, sufficere posset, quia excrementum serosum satis copiosum. Gal. 5. ul. part. Nicol. tract. 9. serm. 5.

II. Forma renum figuram Lune à conjunctione prodeuntis, quæ unvoerdns vocatur, semicircularem, vel ut alijs placet, semilunam representat. In parte enim superiori, qua ad ilia vergit, rotundi-

B

tas:

tas: in inferiori autem vey potius interiori venam cavam spectante depressio & cavitas quaedam apparet, Bauhino figura Phaseli exterius gibbosa & rotunda, interius concava & sima, colore sub-rubeo: Aretae testibus similes. Ideoq; qui habent magnos testes, habent magnos & calidos renes, & plerunque sunt venerei, & ex calculo laborant.

III. Magnitudo eorum tanta est, quanta ad seri expurgationem opus erat.

IV. Temperamentum quod attinet, renes calidi & humidi sunt, ut omnis carnosae pars.

V. Ultimum accidens pinguedo ratione sanguinis & caloris adest, & ut putant nonnulli, ne renes ossium frigore, quod in spina latet, laedi queant. Dexter verò ren minus pinguis est, propter epatis, sub quo situs, calorem. Sinister multò pinguidior, ob hanc etiam causam, quod sub liene constitutus est, cujus frigiditate sanguis quasi congelatur.

C A P. II.

De Vesica & Ureteribus.

Vesica est ultimum membrum evehens, quod urinam excipit & emittit.

I. Vesica urinaria, quae uōsis ἀπὸ τῆς κέντρῳ, id est, κέντρῳ, abscondendo urinam, κεν κέντρῳ ἐπιδοχῆ dicitur. Bauhinus lib. 1. cap. 3. lib. 6. cap. 25.

II. Substantia hujus membranacea & nervea est, & constat triplici genere intertexta, ut ad copiam urinae majorem vel minorem dilatari & constringi queat. Nam si ve parum si ve multum urinae insit, vesica hanc rotam circumcirca amplectitur, sicut ventriculus cibum, & uterus embryonem ac fœtum.

III. Tunicas habet duas, ut Vesal. & Columb. volunt, unam interiorem duram ac crassam, ne tensione rumpatur, aut urinae acrimonia

crimonia vel calculi attritu erodatur. Gal. 5. us. part. 11. *Alteram* exteriorem, à peritoneo ortam, densam quoque & robustam, que instar involucri est. Fallop. lib. 4. c. 10. Archang. lect. 24. Laurent. lib. 6. cap. 25. tres tunicas defendunt, *Vnam* communem & duas proprias.

IV. *Vasa* tria obtinet, venas sc. arterias, & nervos. *Vena* & arteria nutritionis & caloris gratia in cervicis vesicæ latera sparguntur à cave & aortæ bipartito scissoramo Hypogastrico. Quare in vesicæ inflammatione vena malleoli interna secunda: in mulieribus verò, à vasis, que uteri cervicem petunt ad sensum excretionis. Nervos habet à sexti paris ramis, qui à costarum extremitatibus porriguntur. Sentire autem debet vesicæ, ne quando bilis cum urina mixta, vesicam vehementer laderet. Galenus 5. usu. part. 8.

V. Duo canales grandes à renibus demissi ei ingeruntur, paulò supra cervicem à tergo in ipsam vesicæ cavitatem desinentes, qui ab officio & ἔργων, ἔργων & ἔργων appellantur. A Celso à substantiæ similitudine albæ venæ dicuntur, que sanguinem non vehunt. Aristoteles meatus insignes vocat in 3. de part. an. cap. 9. in lib. de hist. an. cap. 18. comparatione fortassis cum alijs venis & arterijs, que multò tenuiores & minus conspicuæ ad vesicam porriguntur.

VI. Sunt autem crassa vasa, constantq; simplici tunica, densa, tamen & fibris obliquis texta, que forma eo facit, ut distendi & contrahi facile possint, meliusq; injurijs resistere, prorepunt, ut dictum, ad vesicam, & lateribus illius non directè quidem, sed reflexu sinuoso per anfractus quasi implantantur, atque intus ad foramen utriusque membranulæ sunt additæ, tanquam valvulæ, ut ne urina in vesicam demissa remigrare possit.

Non sunt autem semper duo duntaxat ureteres, sed interdum & plures, ut D. D. Iohannes Bauhinus in cadavere puellæ alicujus duos ureteres, in dextro latere orientes, ex longi renis parte superiore & inferiore invenit.

VII. Distribuitur vesica in membra sua, videlicet fundum & cervicem. In fundo urina continetur, quæ pedetentim in angustiora coarctatur, & in carnosiore cervicem desinit.

IIIX. Cervix (cui parte posteriore duæ glandule prostatae appositæ) musculum habet, qui σφικτήρ appellatur, gerens mung janitoris, & exitum urine intercludens, ne invitis nobis effluat.

IX. Usus vesicæ est excipere urine materiam, hanc conficere & excernere.

X. Excerni serosum illud, inveniuntur, qui negare ausint, & contra statuere vesicam excremento locali: quorum profectò opinio nobis videtur erronea, cum abs ramo Hypogastrico multos venarum & arteriarum rivulos per ambas vesicæ tunicas spargi, & alimentum vesicæ suppeditari, sit manifestissimum & simul notissimum.

Viscerum vasorumq; urinæ & seminis delineatio.



1. 2. 3. 4. Renis regio anterior. 1. Posterior. 2. Superior. 3. Inferior. 4. notata.
 5. 6. Latus externum. 5. & internum. 6. renis.
 7. 8. Sinus duo, quibus vasa emulgentia inseruntur.
 g. h. Cavæ venæ. g. & arteria magna. h. Caudices.
 K. Intestina petentium arteriarum radices.
 l. o. Tunicam renum accedentium venarum exortus.
 m. n. Venæ & arteriæ utrinque renibus transmissæ.

q. q.

- q. q. Ureteres.
 r. Insertio ureterum.
 t. u. dextra seminalis vena juxta. n. exorta.
 x. Seminalis sinistra vena.
 a. Arteriarum seminalium exortus.
 β. Peritoneo distributi furculi à venis t. x.
 δ. ε. Varicosum vas testis juxta. e. Implantatum.
 ζ. Testis sua tunica adhuc involutus.
 η. Deferentis vasis exortus. η. descensus θ.
 ι. Revolutio hujus vasis sursum.
 κ. λ. ductus hujus vasis nervi instar & reflexus.
 μ. Coitus utriusq; lateris nervorum dictorum.
 ν. Vesica.
 ξ. Receptacula seminis.
 ο. Cervix vesicae.
 ς. Musculus vesicae sphincter.
 s. τ. Penem constituentia duo corpora.
 υ. υ. Vasa penem & vesicae cervicem petentia.
 ψ. Meatus communis urinae seminisq;. Sed de posterioribus hujus
 figurae membris proximâ disputatione plura.
 XI. De retentione & expulsionem urinae Physici & Medici non
 minus inter se contendunt: Quidam utramque actionem natura-
 lem; quidam animale esse, alij verò utramque docent: quorum
 rationes in disputationis cursum commitemus: Nos postremam
 assertionem comprobamus: retentionem autem magis animale,
 expulsionem magis naturalem ponimus.

De Accidentibus Vesicae.

Situs in viris est juxta rectum intestinum, imò incumbit re-
 cto intestino. Et hac causa est, quòd vix simul utriusque excre-
 menti fit exoneratio, nisi quando omnia admodum plena. In mu-

lieribus inter uterum & os pubis posita est vesica. Nam intesti-
no recto incumbit matrix: matri demum accumbit vesica.

II. Figura hujus Vesalia, Columbo, Laurentio, Bauhino, ob-
longa, rotunda: Archangeloglobosa & oblonga: Paræo rotunda
& quasi Pyramidalis. Alijs similis matula medica, unde & à qui-
busdam rectè corporis matula appellatur: concava, quod urina
materiam excipiat, angusta. Cavitationem autem duntaxat u-
nicam habet. Rarissimè enim membrana quasi septo in duas par-
tes dividitur, quod in Illustris. Principis Onolsbacensis cada-
vere antè quinquennium observatum.

III. Magnitudo vesicæ varia est: alijs major, alijs minor, pro
etatis & corporei habitus varietate. Collum hujus illis, qui sunt
masculini sexus, angustius est & oblongius; qui sceminini, brevius
& latius propter uterum, ut sequens disputatio docebit.

V. Temperamentum hujus frigidum & siccum, quia membranæ
& nervea est.

QUÆSTIONES.

Cur quædam animalia non mingunt,
ut volucres, pisces? &c.

Quia Renibus & vesica carent. Ea autem
tantum animalia renes & vesicam habere scri-
bit Aristoteles lib. 3. de part. an. c. 8. & 9. Item
2. de hist. an. c. 16. Item lib. de respirat. cap. 6.
quibus pulmo est densior & sanguine plenus.
Cum enim ob calorem è copia sanguinis multum
sintiant, ex potu etiam excrementi humidum
tum

tum colligunt, quod vase quodam, nempe vesti-
ca, est excipiendū. Volucres verò, quia pulmonē
rariorem, magisq; exanguem obtinent, atq; ideo
parciore potu utuntur, qui & in ipsorum corporū
nutritione fermē omnis absumitur, eo, quod su-
perfluum est, in pennas exhausto, aut per occul-
tam transpirationem dissipato, & renibus desti-
tuuntur. Sicuti & pisces, qui pulmone prorsus
carent, & aquam non potus, sed cibi solum vel
nutrimenti causa assumunt. Sola testudo tam
terrestris, quàm marina quadrupes vesicam ha-
bet. Marina autem majorem, quoniam ob den-
sitate[m] teste, qua integitur, humidum superflu-
um expirare nequit. D. I. 115. 1. 150

Cur in renum calculo est stupor
crurum?

De hac questione variè disputat. Langius in suis
Epistolis & Jacotius comment. in Coacas prano-
tiones stuporis causam ad venarum repletionem
referunt. Laurentius hanc sententiam rejicit, &
duas causas stuporis ponit, & ait stuporem esse
primò à compressione musculi Ψ oas dicti, cui renes
ambo incubant. Secundo, à compressione nervi,
qui

*in cruris omnes musculos expanditur: Verum
hunc stuporem non arenulas sive calculum inci-
ipientem, sed calculum factum, generatum, &
satis magnum excitare & parere.*

*Cur in nephritide tanta est ventriculi
subversio & vomitus?*

*Resp. Hoc fieri propter communionem & con-
tinuitatem vasorum & membranarum. Nam
nervi à stomacho sexta conjugationis ad re-
nem feruntur, & exterior tunica renes investi-
ens, quam fasciam vulgus vocat, à Peritonæo
ortum ducit, quem ventriculi fundo conti-
nauerunt omnes, ut doctiss. do-
cet Laur. l. 6. q. 29.*



ULB 662

*...ob...
...m...
...m...*

D

ULB Halle 3
005 136 865


K107


h



De vi ... **Pr**ime offensione est in videri et geritibus ...
sicut dicitur sicut et ego pro omni omnibus placere ...
iudice quod in velle est si quod multum ... et sal
ut fiant **Capitulum in decimum**

Et in tribus meo est in factis et ego xpi ...
autem vos factus quod per in memoria estis
et sicut in vobis pro xpi non tenent
Ipsa autem vos factus quod omni vni caput xpi
est caput et mulieris in caput vni xpi. **Et**
Dicitur in omni in ipse et in relato capite
dicitur caput suum. **D**icitur autem mulier omne a

tribus non velle caput dicitur caput suum
Dicitur est in arboribus. **Et** Ram si non
velit mulier et videtur. **Et** in vno in ipse
mulier et mulier et mulierum relato caput suum
Dicitur mulier non debet velare caput suum quia
magis est et gloriari. **D**icitur autem gloria
vni. **Et** in omni in vni et muliere si mulier ipse
vni. **Et** in non est armis vni pro muliere
si in vni pro vni. **Et** in vni et muliere et
in vni huius et in vni pro muliere. **Et**
in vni et vni in vni mulierum vni in
in vni in vni in vni in vni in vni in vni



Farbkarte #13

B.I.G.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TATIO
 atomicarum VII.
BUSET
 ICA.
 M.
 M. A.
 RESIDIO
BOLOCHII,
 , Med. & Phil.D.
 gensium Academia
 m suscipiet
audis Ligni-
 lesius.
 oris & loco notis.
 ER GAE,
 per Iohan. Gorman.
 17 CVII.

